



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA APOSTOLICA

MAGNIFICI EVENTUS

AD VENERABILES FRATRES
SLAVICARUM NATIONUM ANTISTITES,
PACEM ET COMMUNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES:
UNDECIMO EXEUNTE SAECULO
AB ADVENTU SS. CYRILLI ET METHODII
IN MAGNAM MORAVIAM.

*Venerabiles Fratres,
salutem et apostolicam benedictionem*

Magnifici eventus saecularis memoria, arcana providentis Dei disponente consilio, huius incidit in temporis adiuncta, quo Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum celebratur, atque cum optatis, ad quae generalis synodus spectat, arcte cohaerere videtur: undecim enim revoluta hoc anno complentur saecula, ex quo Ss. Cyrillus et Methodius, Apostolorum par nobilissimum, Constantinopoli profecti, in Magnam Moraviam pervenerunt.

Nihil sane singulis nationibus salubrius, nihil beneficii granditate spectabilius even ire potest, quam cum, radiante sole iustitiae, populis fulget illuminatio Evangelii (1), et ideo christianae reipublicae nova fit accessio. Hoc profecto, insigni recordatione dignum, Moravis et Slovachis ac postea bene multis Slavicis populis ob providum tantorum virorum adventum contingere coepit.

Cum numquam fas est benefacta sileri caelestia, tum maxime id congruit, cum sollemniter recolendum est familias gentium a Deo, qui dives est in misericordia (2), translatione in regnum

Filii dilectionis suae (3) et christianae nobilitatis ornamento dignatas esse.

Quapropter visum est Nobis ad vos, Venerabiles Fratres, Slavicarum Nationum Antistites, hasce mittere Litteras, per quas tam praeclare factum collustremus, et ad id concelebrandum digno pietatis obsequio una cum clero et populo, quibus consulitis, vos paterno amantique eloquio compellemus. Vestrum erit in praesens Ss. Cyrilli et Methodii, merito cum laudis praeconio, vestratibus singulatim proponi iubere vitam, dotes animi, itinera, res gestas, labores et sudores, hoc consilio suscepta, ut eos ad Christum converterent et ad humanum civilemque cultum magis magisque deducerent. Infitiandum non est eandem ob causam alia ab aliis antea ibi temptata esse. Quae tenues tardosque exitus assecuta, magis propitium aevum et aptiores exspectabant conatus, cum ob effusas caelestis gratiae divitias oriturum erat tempus acceptabile et dies salutis (4).

Quodsi quis inquirat, quibusnam praecipuis ex causis tam ferax fructuum Ss. Cyrilli et Methodii apostolica opera exstiterit, facile intellet hoc quam maxime contigisse, propterea quod ii fuerunt « pauperes in hoc mundo, divites in fide » (5) « homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes » (6), Petri Sedi astricti et deditissimi et omni, qua potest, nominis significatione plane pleneque catholici et apostolici. Quas quidem laudes fel. rec. Decessor Noster Pius XI hisce verbis dilucide expressit: « Quare ... miremur, si Cyrillus ac Methodius — quos Orientis filios, patria Byzantinos, gente Graecos, missione Romanos, apostolatus fructibus Slavos appellare licet — omnia omnibus facti sunt, ut catholicae Ecclesiae unitati omnes lucrarentur? » (7).

luvat Nos saltem breviter strictimque annales, qui eorum enarrant historiam, decurrere. Thessalonicae ii orti sunt, fratres germani, studio fidei pares, ingenii dotibus impares: alter magistratu, alter philosophiae cultu darus, utrique postquam varia per discrimina rerum laboriosas sacras expeditiones apud Arabes et Chazaros sunt aggressi, in solitudinem Montis Olympi in Bithynia secesserunt. A Michaele III imperatore Byzantino ad Ratislaum, principem Magnae Moraviae, qui ab eo idoneos Evangelii praecones poposcerat, missi, celebri excepti sunt laetitia, nec ulla intermissa mora, in evangelicum munus, cui se devoverant, incubuerunt. Brevi magna messis splendide crevit. Evenit ut apostolicus insumptus labor facilius expediretur, quod novis conformatis litteris Slavorum expressus fuit sermo et in eorundem sermonem Sacrae utriusque Testamenti Litterae et liturgici libri tum Romani, tum Byzantini ritus conversa.

Romam cum venissent ambo fratres, ut Romano Pontifici de actis rebus rationes redderent et de agendis mandata exciperent, ab Hadriano II omni honore affecti sunt. Summus hic Antistes, cum duorum Evangelii praeconum orthodoxam fidem illibatam recognovisset, Methodio et nonnullis eorum discipulis sacros Ordines conferendos curavit. Cum autem paulo post Cyrilli, virtute magis quam aetate maturus, Romae supremum diem obiisset, sollemni funebri pompa eius corpus elatum, in urbana aede Sancti Clementis summo cum pietatis obsequio conditum est. Methodius vero Archiepiscopus Pannoniensis et Magnae Moraviae creatus est, hoc etiam munus nactus, ut, qua Pontificius Legatus, Slavicarum gentium spirituali emolumento consulere.

Novum opus firmo erectoque animo aggressus, sanctissimus vir cum primis in suae ditionis provincia apta temperatione ecclesiasticam disciplinam constituit vel solidavit, ac lata per spatia arduis itineribus susceptis, praeter Moravos, Slovachos et Slovenos, etiam Bohemos, Polonos, Croatas, et, per suae disciplinae alumnos, Serbos, Macedones, Bulgaros, horumque ope etiam Ucrainos, Russos et Alboruthenos ad christianam fidem erudit.

Praetereundum non esse sentimus Methodium Romam reversum, ut apud Ioannem VIII de invecata Slavica lingua sacris peragendis satis sese purgaret, omni accusatione liberatum, munera ab Hadriano II sibi concessa, nominatim Slavicam expeditionem, confirmata retinuisse et solertius persolvere. Sanctum namque semper et sollemnne ei fuit cum Ecclesia Romana arctissimo caritatis fideique vinculo deviniri, et cum oboedientiae obsequio erga Apostolicam Sedem, quae quidem firmamentum veritatis et unitatis christianae est, sacro ministerio defungi.

Postquam pro Christi nomine et gloria multa peregrinatus et passus est, terrestri est vita functus, die sexta mensis Aprilis anno DCCCLXXXV et in aede sacra principe Magnae Moraviae conditus est.

Religiosa reverentia, bona existimatio, inclita fama, quibus longe lateque omni tempore et ubique terrarum gliscente auctu Ss. Cyrillus et Methodius florebant, Leoni XIII id suaserunt, ut per Encyclicas Litteras « *Grande munus* » praeclaris laudibus Apostolorum par extolleret; isque Romanus Pontifex, ut in candelabro templi Dei rutilantiorem lucem funderent, ipsorum sollemnitatem et cultum ad universam Ecclesiam pertinere decrevit. Cuius Decessoris Nostri eadem observantia moti, praesentis temporis adiunctis et ipsa saeculari memoria, quae recolitur, probe poscentibus, optamus et cupimus, ut iustissimo pietatis debito studio ad Sanctos hos Caelites opiferos, quasi ad sidera amica, vos et ii universi e nationibus vestris, qui christiano nomine censentur, oculos animosque convertatis. Quo magis apud vos opus est non humano, sed divino praesentique auxilio, eo magis eorum deprecatione fidendum est, quia in caelestibus sedibus valida propitiatione pergunt adesse necessitatibus et inceptis, quibus vacarunt, neque extincta, sed potentior eorum provida invigilat caritas.

Novistis, Venerabiles Fratres, flagrantibus votis Nos eniti et contendere, ut orientales qui christiano nomine decorantur, ab Apostolicae Sedis communionem seiuncti, eandem reintegrare studeant et ut, gradatim in Christi implendum votum, unius ovilis et pastoris unitas consummetur.

In id etiam conspirant vota Oecumenici Concilii Vaticani Secundi, eni — haud parva cum animi oblectatione et spei bonae auspicio etiam a seiunctis Ecclesiis missi spectatores adfuerunt.

Vox temporis vox Dei est; eaque non uno indicio, non paucis et parvis argumentis huiusmodi auspicandam restaurationem communionis et pacis suadere et incitare videtur.

Praeter modum maiora ea sunt, quae utrimque iungunt quam ea quae seiungunt in hac nobilissima et utilissima causa restaurandi in illibatae unitate fidei concordiae nexus, ex quo procul

dubio christiano orbi novus nascetur felicitatis ordo. Oportet nunc utrimque parentur viae, quae quidem solide munientur et ad optabilem rei effectum ducent, si mutua erit bona existimatio et fraterna caritas: haec cupida Dei voluntatis implendae ad omnia valet, omnia sperat, omnia sustinet.

In id quantopere conferebat inceptum, ab Antonio Martino Slomsek, Episcopo Lavantino, conditum et ab Antonio Cyrillo Stojan, Archiepiscopo Olomucensi, provectum, cui nomen inditum est « Apostolatus Ss. Cyrilli et Methodii », itemque conventus, qui apud sacras ruemorias S. Methodii Velehradi celebrabantur. Spectabiles gratiqne fructus, qui in commune emolumentum in de maturuerunt, valde acuunt flagrantia desideria meliorum temporis adiunctorum, quae facultatem impertiant feliciter incohata resumendi et promovendi.

Subit recordatio Nos, cum anno MCMXXVII in Bulgaria Apostolici Delegati munere fungebamur, Oonventus Velehradensis Praesicli haec scripsisse: « Id cupio, ut a Bulgaria profecta vox laetitiae, ad te peneniat et per te universis Velehradi congregatis resonet hanc ob causam, quod sollemnes coetus apucl sacras memorias Ss. Cyrilli et Methodii aguntur. Haec vox testimonium profert catholicos fideles, qui hic snnt, participes esse precum, studiorum, deliberationum, votorum, quae catholici Slavici pro coniunctione ecclesiarum fundunt et explicant ... Vere nobis esse videmur grana frumenti, in montibus sparsa secundum perveteris christianae precationis venustam imaginem, quae quidem grana ad sapidum panem conficiendum coalescunt. Deprecantibus Ss. Cyrillo et Methodio, benedicat Deus vestrae animorum fraternitati, et gratia superna eam quasi applicito signa communiat » (8).

Ex eo tempore in consuetudinem quandam venire coepimus orandi Deum non solum pro dilecta Bulgarorum gente, sed etiam pro universis populis, qui effecerunt, ut in media Europa nomen Christi splenderet. Vehementius saluit tunc Nobis cor; huiusque impulsio Nos incitavit, ut cotidie pro iis per subsequentis aetatis decursum fiduciae plenas preces Deo funderemus, tenero cum pietatis affectu. His in precibus consociare solemus beatissimae Matri Iesu Ss. Cyrillum et Methodium itemque omnes sanctos caelites Orientis et Occidentis, ut praevalido patrocinio suo ab Altissimo fraternitatis et pacis tam exspectatam completionem votorum impetrent.

Ut in hoc sacrosanctae unitatis conamine perficiendo consudetur alacriter, hortatores, instinctores, patroni existunt Ss. Cyrillus et Methodius, qui susceptum iter quasi duo poli lumina collustrando indicant. Ii profecto, sanctae columnae unitatis, multum orant pro universa sancta civitate, quae est Ecclesia, et pro populis tutelae suae concredit: Cyrillus et Methodius, duae olivae, duo candelabra, duo filii olei qui adsistunt Dominatori universae terrae (9).

Quam opportuna, quam amans et praesentibus rerum adillnctis congruens est precatio, quam S. Cyrillus ad magna et caelestia deprecanda genti sibi commissae Romae moriens effudit: « Domine Deus, qui omnes angelicos ordines et incorporeas vires creasti, caelum autem extendisti

et terram firmasti ... auge Ecclesiam tuam multitudine et omnes in unitate collige, et electos homines constitue concordem in vera fide tua et recta confessione, et in spiritali in corda eorum verbum tuum auditum ... ut attingant se ad bona opera et ad quae tibi sunt placita » (10).

Hac sollemni occurrente fausti eventus memoria, summo religionis obsequio exsolvendae sunt Deo gratias pro inenarrabili beneficio, quod, auspiciato adventu Ss. Cyrilli et Methodii christianae rei publicae conferebatur. Per hos enim sive directo, sive per eorum alumnos Slavicis gentibus christiana fides et civilis humanitatis cultus advecta sunt. Ac propterea naturae feliciter insertae dotes, Evangelii delabente gratia, effloruerunt, quae hosce populos decorant: vividus divinarum rerum sensus, generosa in dolis, versatilis in genii ubertas, ad politiore humanitatem inclinatio, bonarum artium dives vena, hospitalis liberalitas, quae quidem omnia de ipsis bene sperandi haud labiles causas suppeditant.

Pro dolor, in compluribus eorum regionibus tam celsa superna benefacta et accepta a maioribus decora et christiani nominis nobilitas contemnuntur misere. Utinam pigeat demum id proterere quod oportet magni pendere et diligere, ac, moderator urn in melius mutato consilio, quod quidem fore confidimus, in auram lenem se vertat procella. Ut gentibus vestris christianae religionis indemnis servetur a maioribus traditus inestimabilis pretii thesaurus, id hortamur ut, hoc anno maiore cum certatione Deo supplicationes, postulationes, oblationes sanctas, lacrimas, fructum bonorum operum deferatis, habentes mysterium fidei in conscientia pura (11). Rerum omnium et temporum moderator et rector, propitiatus, ut spes confovet vota, vertet afflictiones et maestitiam in melius, et Eius auxilio et praesidio confisis solacium parabitur, quod eo laetius evadet, quo minus in exspectatione fuerit.

Compertum Nobis est huiusmodi saecularium eventus memoriam claris quibusdam inceptis nobilitari, ita ut perpetuitate donetur haud sine rei religiosae ornamento et profectu. Haec ad rerum gestarum indagaciones, ad doctrinae studia Ss. Cyrillum et Methodium spectantia, ad pias peregrinationes praesertim attinebunt.

His alias addite inceptions, ut aemulis nisibus Apostolorum par honorabile quodam modo ad vestras redeat, et faciem, quam attulit, vividior accendat et sublime attollat. Hanc etiam ob rem cereos, quibus in festo Purificationis Beatae Mariae Virginis rite benediximus, nonnullis templis principibus vestris destinavimus, ad significandum Christum datum in illuminationem vestrarum gentium et communis effectorem salutis, qui vobis per duos evangelicae lucis satores apparuit.

Quam plurimum igitur optantes, ut Ss. Cyrilli et Methodii saecularis recolenda memoria perquam digne et fructuose concelebratur et post se vestigia spiritualis incrementi et durabilis rei effectus linquat, huius rei causa praesentissima Dei auxilia invocamus, atque supernorum munerum auspiciem et pignus Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, atque clero et christifidelibus moderationi vestrae commissis, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XI mensis Maii, in festo ritus Byzantino-slavici Ss. Cyrilli et Methodii, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri quinto.

IOANNES PP. XXIII

(1) Cfr. *2 Cor.* 4, 6.

(2) Cfr. *Eph.* 2, 4.

(3) Cfr. *Colos.* 1, 13.

(4) *2 Cor.* 6, 2.

(5) *Iac.* 2, 5.

(6) *Eccli.* 44. 6.

(7) Litt. Ap. ad Archiepiscopos et Episcopos tum Regni Serborum-Croatarum-Slovenorum, tum Reipublicae Cecho-Slovachae, AAS v. XIX (1927), p. 95.

(8) Acta V. Conv. Velehr., p. 6l.

(9) Cfr. *2 Mach.* 15, 14; *Apoc.* 11, 4; *Zach.* 4, 11-14.

(10) *Vita Constantini slavica*, cap. XVIII.

(11) Cfr. *1 Tim.* 3, 9.